

MENNANDER, CARL FREDRIK, KUNGL.
VETENSKAPSAKADEMIEN, CARLING, ANDERS
M., KÄMPE

Dissertatio academica de serico ex
telis aranearum, qvam, ex. suffrag. cel.
philos. ordin. in reg. ad auram
academia, præside Carolo Frid.
Mennander ... publico bonorum
examini subjicit pro gradu Andr

[1748]

EOD - Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 12 europeiska länder!



Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400- till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
 - Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
 - *Sök:** Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
 - *Klipp & klistra:** Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).
- *Ej tillgängligt i varje e-bok.

Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkor för användning: <https://books2ebooks.eu/csp/sv/nls/sv/agb.html>

Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 40 bibliotek från 12 europeiska länder denna service. Sök böcker tillgängliga för den här tjänsten: <https://search.books2ebooks.eu>
Mer information finns tillgängliga via <https://books2ebooks.eu> boken.

MENNANDER, CARL FREDRIK

Dissertatio academica
de serico et telis
araneorum

Ex. A

Sl. saml.


Ekon.

Husdj.

Sjtteordl.

(Kr.)

1700-1829



Ex. A

*Ekron
Sleedj
Silberode
(183)*
1700-1829

A. D. G.
DISSERTATIO ACADEMICA;
DE
SERICO
EX
TELIS ARANE-
ARUM,

Quam,
Ex suffrag. Cel. Philos. Ordin. in Reg. ad Auram Academiæ,
PRÆSIDE

**CAROLO FRID.
MENNANDER,**

Scient. Nat. PROFESS. Reg. & Ordin.
Facult. Philos. h. t. DECANO,
Publico bonorum examini subicit

PRO GRADU
ANDREAS M. CARLING,

OSTROBOTNIENSIS,
Die XXI. Julii A:o MDCCXLVIII.
Loco horisqve p. m. consvetis.


ABOÆ, Excud. JOH. KÆMPE, Reg. Acad. Typ.

Sic R:æ Mitis

MAGNÆ FIDEI VIRO,

Reverendissimo Domino,

**DN. JOHANNI
BROWALLIO,**

S. S. Theologiæ *DOCTORI*, Dioceseos Aboënsis *PRO-
EPISCOPO* & Regiæ ibidem Academiæ *PROCANCEL-
LARIO* eminentissimo, Venerandi Consistorii Eccle-
siastici *PRÆSIDI* gravissimo, Scholarumque per Dioc-
cesin *EPHORO* adcuratissimo.


MÆCENATI MAXIMO

Opusculum hoc levidense, in grati animi te-
stimonium, & submissæ venerationis docu-
mentum, ob insignem favorem, summa animi
submissione, dat, dicat & consecrat

Reverendissimi NOMINIS TUI

Humillimus cliens,

ANDREAS M. CARLING.



§. I.

Utpote tria illa naturæ regna omnia alia, quæ ad usus & commoditates vitæ humanæ spectant, abunde nobis suppeditant; ita variam quoque materiam vestibus inde conficiendis idoneam, & non modo ad defendendum corpus ab injuriis aëris, verum, etiam ad illud usque ad luxuriam nitide, & habitu multiformi, vestiendum, porrigunt. Regnum minerale, quamvis huic usui minus videatur congruum, continet tamen & illud Amianti speciem, Byssum, unde linteum, illudque incombustibile, confici posse, priori dissertatione nostra ostendimus. Vegetabilia varia lini & gossypii genera nobis largiuntur. Inter animalia, non modo illorum haud pauca, quæ perfectiora dici solent, sua nobis indumenta, pelles & lanam, concedunt, verum etiam illa, quæ imperfectiora audiunt, mortalibus de

A

hiscè

hisce necessitatibus prospiciunt. Capillamenta
 concharum quarundam marinarum, quarum de-
 lineationem sistunt *Annales Vratislavienses* (a)
 lanam quandam exhibere perhibentur. Inter
 insecta bombyx potissimum, vel *phalana pecti-*
nicornis elingus, Linn. textrinam serici, in usus,
 non tam suos, quam humanos, adornat. Sunt
 etiam in hac animalculorum classe alia, quæ
 idem exercent artificium. Inter illa araneæ
 telas conficiunt, quas, ad pannum inde paran-
 dum, posse adhiberi, docuit & re ipsa mon-
 stravit *D:nus Bon*, primarius præses cameræ
 rationum *Montepessulanæ*, & membrum hono-
 rarium *R. Academiae scientiarum* ejusdem ur-
 bis (b). *Reaumurius*, magnum illud in en-
 tomologia nomen, mox collegit & educavit
 ingentem aranearum copiam, in naturam ea-
 rum accurate inquisivit, & inventum illud *D:nus*
Bon ad examen revocavit; nec levia aut faci-
 le superanda invenit obstacula, quæ, quin pos-
 sit sericum per araneas copia insigni parari, im-
 pedire videntur (c). Horum inventa & ob-
 servata breviter recensere animus est. Quod
 dum facimus, lectoris benevoli nobis pollice-
 mur

3

mur favorem. Quamvis enim pleraque, quæ præsentibus continentur pagellis, non nostra sint, nec harum rerum peritis ignota; expedit tamen, ad plures, etiam in nostris oris, diffundi harum rerum cognitionem, cum sint & curiosæ, & utilitatem insignem pollicentes, & in primis ad agnoscendum in minimis Deum maximum, apprime conducentes.

(a) *XXVII. Versuch* p. 221. seq. (b) Dans le discours qui il fit a l'ouverture de l'Academie, en 1709. (c) *Vid. dissert. ejus, quam recensent les memoires de l'Academie Royale des sciences, de l'année 1710.*

§. II.

ARanea notissimum est insectum, ex apterorum ordine, pedibus octo instructum. Quamvis enim Swammerdamus (d), cum antennis primum in *Phalangio majori Brasiliano*, deinde in aliis etiam aranearum speciebus ejusdem evidentia & magnitudinis, & æque præditas ungviculis deprehenderet ac pedes, putavit se posse negare araneis antennis, illas vero, octo pedibus vulgo præditas, revera decem pediculis incedere; ipse tamen, propius obser-

vata in antennarum structura differentia, sententiam de iis in pedum numerum referendis, suspendit. Dantur hujus insecti figura, coloribus & magnitudine differentes species plurimæ. Multifariam etiam divisionem subit respectu loci natalis & habitaculi, cum nonnullæ aranæ hortis, arboribus, lignis plantisque delectentur, aliæ communi cum homine tecto fruuntur, aliæ alia loca, ventis & pluvie non nimis exposita, adamant. Respectu artis tela texendi etiam differunt, aliquæ enim nihil, aliæ parum, nonnullæ aliquanto plus producunt serici. Ultra triginta hujus species in patria nostra observavit, & Faunæ suæ Svecicæ intulit *Cet. Linnæus*. Is vero, de quo diximus, Præses *Bon*, generatim araneas in eas quæ pedibus longis, illasque, quæ brevibus instructæ sunt, dividit. Ipsam structuram corporis hujus insecti quod concernit, bifariam illud, & in binos quasi lobos & ventres, tenui filo conjunctos, natura divisit. Antica pars duriori & piloso tegmine obducitur. Continet hæc caput & pectus, cui annectuntur pedes, sex articulationibus gaudentes. Extremitas vero cujuslibet pedis binis uncio.

unciolis instructa est, & corpusculo spongioso
intra binas cochleas, quæ omnia, ut faciliter
& commodè animalculum, etiam in corpori-
bus politis ambulare possit, conducunt. Binos
quoque dentes possident, aut firmiores ungvicu-
los, incurvos, per articulationem extremitati
capitis insertos. His muscas & similia animal-
cula, quæ deprehenderunt, transfigunt, ut
ex illo vulnusclo alimentum sibi exsugere pos-
sint; hinc os eorum mox supra hos aculeos
natura collocavit. Cumque hos ungviculos non
ita multum ablutere a structura aculei scorpio-
nis censeat *Swammerdamius*, his & araneas
pungere, dum animalia lædunt, opinatur, &
venenum læsorum animalculorum vulnusculis
infundere, adeoque palmarium inter scorpio-
rum & aranearum aculeum in eo situm esse
discrimen, quod hæc illum pectore, illi cau-
da prominulum habeant (e). Contendunt ve-
ro recentiorum omnes, non inesse araneis aut
earum morsui quidquam venenati. Octo oculi
politi, dispersi nec reticuli in morem contexti,
araneis concessi sunt, diverso situ & ordine
in diversis speciebus collocati. His *aranea lu-*

pus

pus utitur, dum escam saltu venatur. An vero *arana telaria* visus beneficio gaudeant, varii dubitarunt, cum, admoto proxime oculum digito, imperterritæ locum seruent; inesse vero illis eo majores tactus facultates concedunt, cum, vel leviter mota illarum tela, id extemplo deprehendant. Sed cum hæ eundem evidentem oculorum numerum & structuram cum priori possideant, non audemus asserere, illos his frustra concessos esse. Posterior *aranæ* pars tegmine tenuiori obducitur, pilis varii coloris condecorato, & dorsum ventremque continet, atque partes speciei propagationi inservientes. Vulgi enim errorem illum, quod generentur *aranæ* ex putrefacta immunditie, quod inde colligi posse arbitratur, quia in ædibus recens fabricatis videntur, & in gallis non perforatis, anni pestiferi & contagiosi prænuntia, aliquando reperirentur, jam diu explosit *Franciscus Redi* (f). Esse heic utrumque sexum in quolibet individuo conjunctum semet observasse perhibet *Blankaartus* (g). Exiguam enim *aranæ* puniceam, in cella vinaria repertam, ultra tres menses so-

lam

7
lam asseruavit, quæ postea bis ova posuit,
non subventanea, sed filiolis turgida. Domi-
nus Bon etiam testatur, se signa masculina in
iis temper detexisse araneis, quæ oviparæ sunt.
Frischius autem se modum propagationis per
duplicem sexum divisum in his etiam animal-
culis vidisse contendit, eumque describit (*b*).
Adsunt in hac parte corporis quoque excreti-
oni dicata organa, quæ ambiunt quinque pa-
pillæ, præter alias binas, interius jacentes.
Sunt vero hæ musculosæ, sphinctere instructæ,
& illa constituunt instrumenta, per quæ aranæ
tenacem illum succum, quo turget venter,
in fila, jam pauciora jam copiosiora, du-
cunt.

(*d*) *Historia insectorum generalis*, p. m. 59. [*e*]

L. c. (*f*) *Experimenta circa generationem in-*
sectorum. p. 171. seq. [*g*] *Schauplatz der*
raupen / würmer / maden und fliegenden
thiergen / c. XXXIII. (b) Beschreibung von
allerley insecten in Teutschland / 7. theil
N:o IV. pag. 8.

s. III.

HÆc fila, quæ nent aranæ, duplicis sunt
generis:

generis: unum tenue & infirmum, unde tela illa contexunt, quibus muscas captant, quæ proprio Marte, & sine circino aut regula, artificiosissime construunt, ita ut centrum servent, & circumscriptionem exacte adiciant; siquæ quid hujus telæ suæ fuerit disruptum, id concinne resarciant. Exponendus heic breviter quoque modus est, quo araneæ, quæ alas ad volandum nullas possident, possunt tamen extremitates telæ suæ ab una arbore ad aliam, ad distantiam sæpe insignem, etiam supra aquas interjacentes, deducere. *Mousetus* hoc saltu fieri contendit, & vibratione corporis de loco in locum, sed ad brevem tantum distantiam, hoc modo pertingere possunt. Interdum vero, firmata ad certum locum una extremitate filii, solent illo mediante, in terram descendere, ibique progredi, donec vicinum reperiunt objectum, in quo sursum repunt, & filum ad justam proportionem conglomerant, quo pro exordio futuræ telæ utuntur. Porro, cum sit filum araneæ non simplex, sed duplex, aut ex pluribus tenuissimis filis constans, potest descendens aranea horum aliqua abrumpere, quæ, relictæ

9

relicta & volitantia per aërem, huc vel illuc applicari possunt, quorum ope facillime ex hoc loco in alium transire potest animalculum. Imo, observavere recentiores, araneam, dum transitum ejusmodi molitur, filo interdum suspensam pendere, capite vento obverso, & emittere varia fila, quorum aliquod, dum corpori solido vi ventorum alliditur & adhæret, quod, pedibus sæpius hæc filamenta sua contrectans aranea, mox animadvertit, vel pontem transiri præbet, vel etiam insectum, rupto priori filo, supinum & extensis pedibus jacens, semet venti beneficio ad distantem illum locum deportari sinit. Alterum aranearum filamentum firmiter est, quo ova sua, quorum plurima numero unico edunt partu, circumvolvunt, ut ab aëris injuriis & aliorum insectorum læsionibus sint tuta. Sunt hæc tegumenta molliter contorta, & bombycinis, digitis aliquamdiu pertractatis, similia. Colorem vero possident plerumq; griseum, per diuturniorem in aëre moram in nigrum vergentem. Brevioribus pedibus instructæ araneæ regionum calidiorum hæc involucria majora & crassiora conficiunt,

B

adeo-

adeoque sericum largius concedentia. Tales sunt in primis *Dominicopoli*, vel in *S. Domingo Americæ*, in *Italia*, & *Galliæ* regionibus *Provincia & Langvedocia*. Ex araneorum huic terræ inquilinarum cunis sericum suum conficiebat *Præles Bon*, elegantia non cedens bombycino, quod coloribus omnibus ut imbueretur, erat aptum, & ex quo vestes variæ poterant confici; de quo artificio jam plura.

§. IV.

Collegit nimirum aliquot hujus serici uncias; pulverem inde manu bacilloque excussit, reliquamque immunditiam aqua tepida abluvit. Materiam hanc postea aquæ saponacæ, in qua nitri & gummi arabici exigua aderat portio, immisit, & lento igne per binas aut tres horas coxit. Dequo, lotionem per aquam tepidam sapone extracto, massam hanc exsiccabat, & digitis emollebat, quo facilius pectine, ordinario sericeo subtiliore, carminari posset. Ita paratum erat sericum, coloris grisei (quamvis & aliorum colorum, flavi, cœrulei, &c. dent aliæ araneorum species) facile in fila, sericeis bombycinis subtiliora, & ceu opinatur, firmiora,

II
ra, ducibile, ex quo, ne verbis tantum, sed ipso etiam opere possibilitatem rei demonstraret, tibialia & chirothecas conficiendas, & Academiæ Regiæ scientiarum Parisinæ exhibendas, curavit. Magnifica sibi ab hoc invento pollicetur. Ob fecunditatem enim, qua araneæ multum superant bombyces, majorem ab illis quam ab his expectari posse serici copiam, contendit. Pone enim quælibet illarum, sex aut septem centum ova, vivacissimos fœtus continentia; cum bombyces, ex illius calculo, tantum centena pariant, quorum plusquam dimidia pars, per morbos plurimos, quibus infestatur hoc animalculum, iners perit. Ad educandas vero araneas hoc dat consilium, ut includantur vasculis, & indantur cucullis papyraceis, quæ, una cum charta ipsam vas obtegente, erunt foraminibus acu factis pleni, quo ita libero aëre fruantur. Mulcæ vero illis in escam dantur. Ita post aliquod tempus telas suas perficiunt, quarum tredecim uncias, post lotionem & elixationem, relinquunt quatuor serici puri uncias; ex horum vero tribus possunt tibialia adulto homini confici, cum

ordinaria bombycina septem aut octo uncias pondere æquent. Hinc, & cum sit nova hæc serici species neque tantæ raritatis neque pretii, ac erat bombycina sub initio inventionis suæ, spem concipit optimam, posse sufficientem ejus copiam, majoribus etiam fabricis sustinendis, colligi; imprimis, si aditus in omnes per universum regnum domos pateret, & undiquaque hæc telæ & retia conquirentur.

§. V.

HAstenus egregie se habuit negotium, & optimum videbatur polliceri successum. Per spicacissimus vero *Reaumurius* plurima animadvertit obstacula, ab inventore non prævisa aut indicata, nec facile superabilia. Dum enim ingentem nutrire instituisset aranearum copiam, prima circa victum earum occurrebat, eaque haud levis, difficultas. Unde enim, quæso, tot reperiri poterunt muscæ, aut quo artificio illæ indies erunt captandæ, quot requirerentur ad alendas illa multitudine araneas, ut vel exiguæ serici manufacturæ copiam sufficientem materiæ rudis largiri possent? Hinc, ut nihil relinqueret intentatum, illas variis ex regno

vege-

63

vegetabili petitis esculentis sustentare voluit. Sed, ceu præviderat, sprevit hæc omnia araneorum naturalis truculentia & venandi libido. Cum tamen videret, araneorum plurimas species non solis muscis, sed aliis etiam insectis, insidias struere, variiqve generis cadavera in domiciliis eorum conspici, de invenienda tali ex animalculis specie sollicitus fuit, cujus sufficiens semper parata esset copia. Lumbrici, quorum prodigiola adest multitudo, videbantur huic fini convenientissimi. Neqve eventus expectationem delusit, vidit enim araneas hoc nutrimenti genus, horumqve vermium frustula, non spernere. Variis postea aliis carniū speciebus gulam earum irritare voluit, sed frustraneo semper conatu. Sola illa mollis carnea substantia, quæ plumis non dum maturis avium, potissimum juniorum, adhæret, grata erat araneis, præsertim nuper exclusis & cunas deserentibus, esca, quæ, in linearis longitudinis frustula dissecta, avide saturabantur. Jam superatam credidit hanc de cibo araneis comparando difficultatem, inventis ejusmodi nutrimentis, quæ difficiliora non sunt comparatu,

tu, quam mori folia, quibus bombyx vescitur. Sed mox animadvertit, non posse quocumque sustentaculi genere satiari horum animalium ingluviem. Quamvis enim araneæ iuniores & recens editæ pacem colant, & in eadem tela pertexenda sæpe amicas jungant manus, non tamen longæ durationis est hæc concordia; post aliquod namque tempus, velut Cadmæi fratres, semet invicem infestis aggrediuntur viribus, & majores fortioresque debiliores deglutiunt, adeo ut in theca, antea araneis plena, brevi vix una alteraque sit residua. Et hæc aranearum in viscera propriæ speciei grassandi libido videtur esse causa palmaria, cur, respectu multitudinis ovorum, exiguus inveniatur earum numerus. Ad averterendam novam hanc remoram & mutuam interneccionem vix aliud excogitari posse medium contendit, quam ut quælibet in distincta cellula asservetur, & seorsim cibum capiat, quod infinitum, & lucrum tantillum multoties superantem, laborem requireret. Et, ne ova pariant subventanea, sed fœcunda & propagationi apta, erunt tamen aliquando committendæ;

15
dæ. Instinctus vero naturalis, ferociam natu-
ralem domantis, tempus exacte heic sciri ne-
quit, cum diversis non modo diebus, sed
mensibus etiam anni, ova pariant.

§. VI.

Fœcunditatem araneorum esse prodigiosam,
concedit *Reaumurius*, interim & bomby-
cum fertilitatem vel inde apparere contendit,
quod abundet jam Europa serico bombycino,
ubi ante aliquot secula erat rarissimum, & au-
ri pretium æquabat. Quemlibet vero bomby-
cem ter aut quatuor centum ova parere obser-
vavit. Bombycum itaque culturam multo fa-
cilis posse institui concludit, illorumque fila,
& quantitate, & firmitate & elegantia, plu-
rimum araneorum operas superare, ostendere
conatur. Folliculos bombycinos tria aut qua-
tuor grana pondere æquare observavit, adeo ut
duo mille ter centum & quatuor ad minimum
bombyces, in una librâ serici conficienda, operam
collocent. Folliculus vero optimæ netricis inter
araneas vix unicum granum ponderat, adeo ut
quatuor tales araneæ tantum darent serici, quan-
tum unicus bombyx, si esset opera utriusque
in.

infecti æque pura; sed in araneorum plusquam
 binæ tertiæ partes sordium & materiæ hetero-
 geneæ adsunt, in bombycum parum vel ni-
 hil, adeo ut vix duodecim aranearum tantum
 dent serici puri, quantum bombycum unicus.
 Si porro cogitaverimus, in araneis, ex observa-
 tis optimorum historicorum naturalium, sexum
 adesse divisum, solasque femellas ova ponere,
 & involucra eorum construere; hæcque concipi-
 untur, ut obtinere solet in natura, masculis
 numero fere pares, viginti quatuor aranearum
 maximæ unius bombycis laborem exæquabunt,
 & circiter quingvagenta quinque mille & ter-
 centum unicum serici libram conficient. Quam-
 vis simul referat, dari magnas hortenses ara-
 neas, quarum ducentæ & octoginta unicus
 vermis bombycini diligentiam attingunt, qua-
 rumque centum sexaginta tres mille quingenta
 & quingvagenta, vix libræ unius dant proven-
 tum. Hujus itaque serici pretium ad minimum
 vigesies & quater superaret bombycini valo-
 rem, si vel abessent illa incommoda, quod quæ-
 libet aranea singulare habitaculum, idque satis
 amplum, ut telis ducendis spatium habeat, &
 fin.

singularem mensam, requirat, quæ pretium serici hinc petendi in immentum augent. Firmitate etiam fila araneorum, multoties cedere bombycinis, evincere satagit. Inter illa filamenta, quæ araneæ in retis & castes extendunt, quæque ovis suis circum volvunt, sola tenacitatis & firmitatis intercedit differentia; hæc enim, quod ponderibus appensis exploravit, sunt prioribus illis fere decies oclies firmiora, sed & hæc ipsa quinqvies bombycinis debiliora sunt. Cum itaque filum artificio humano conglomerandum ex telis araneorum, plura requirat fila simplicia, quam bombycinum, & major heic exurgit labor, & minor firmitas; vix enim ita ordine collocari & duci poterunt tot filamenta, ut eorum conjunctio summam virium filorum seorsim consideratorum servet. Multitudo etiam hæc filorum contorquendorum minus nitidam reddere videtur texturam, ab araneorum telis conficiendam, quam illa est, quæ ex bombycum laboribus paratur. Plura enim interstitia & puncta vacua fila hæc differentia & re apte separata relinquunt, hinc minus reflectunt luminis, & minorem nitorem serico

concedunt. Apparet itaque, in his ipsis filis araneorum, stupenda naturæ subtilitas. Ponamus enim, filum illud, ex quo retia connectit aranea, esse tantum duplex, quamvis credibile sit, illud esse potius multiplex, cum ex pluribus papillis simul, & ex qualibet illarum plura ducere soleat filamenta. Est hoc decies octies infirmius illo, quod ovis suis circumvolvit, adeoque hoc, quod folliculos constituit, ex triginta sex ad minimum filis simplicibus constabit. Hæc posteriora quingies debiliora sunt simplicibus bombycinis, adeoque filum araneæ simplex est eorum centesima octogesima pars, quæ iterum ipsa, bombycina nimirum primitiva, non sunt nisi ducentesima portio filii sericei subtilissimi, quo in nendo utuntur mulieres, tot enim fere fila simplicia in illo se observasse refert oculatissimus *Reaumurius*; ad illius vero crassitici filum constituendum, requirerentur triginta sex mille fila talia, quæ in retia extendit aranea. Refert *Boyllus (i)*, nobilem quandam matronam folliculum bombycinum evoluisse ex glomere, in quo chrysalis latet, in longitudinem filii sericei trecentas

19

ras ulnas exsuperantis, quod omne erat tantum duorum granorum ponderis cum semisse; adeo ut unicum serici bombycini granum 120. ulnas contineat. Sed, ex calculo allato, serici simplicis araneorum granum 21600. ulnas comprehendet, si eam, quam tenacitatis habet, gravitatis quoque servaverit proportionem. Est tamen hoc filum aranearum oculis nudis visibile, & in qualibet ulna puncta plurima visu distingui possunt; adeo ut vix aliud majus divisibilitatis materiae suppetat argumentum.

(i) *In exercitat. de mira subtilitate effluviolorum, c. 2.*

§. VII.

Apparet ex allatis, observata *Reaumuriana* multum detrudere spei, de felici circa sericum araneorum laboris eventu; interim tamen neque illam plane evertunt. Patet heic via novis observationibus, quae, si sedulo instituta fuerint, quin superari possunt difficultates, non videtur desperandum. Majora certe quam hic adsunt obstacula, in triumphum duxit ingenium humanum. Exiguam quidem admodum dat araneorum qualibet serici portionem, illud tamen operis inde conficiendi sub-

C2

tili-

tilitas & levitas aliquatenus compenlat. *Muschenbroekius* (k) vero ex his serici bombycis & telorum araneæ, aliisque inter se comparatis firmitatibus, hanc colligit regulam: eo majorem in compositis coherentiam dari, quo natura fibrillas format subtiliores, positus cæteris paribus. Id quoque observatu dignum est, *Reaumurium* circa araneas provinciarum magis temperatarum Galliæ experimenta instituisse, *Bon* circa calidiorum, majorem serici copiam largientis; nec dubium est ex itinerariorum relationibus, quin alibi, in America potissimum, reperiantur araneæ multo majores Europæis, adeoque succo sericario magis turgentes, & ad eolum ducendum fortiores, quæ in Europam nostram, æque ac bombyces, transplantari possent. Si vel telæ illæ, per quas aucupia exercent araneæ, undiquaque colligerentur, & quælibet familia vel unciam ejus quotannis comportaret, & hæc haud contemnendam summam conficerent. Neque forte omnibus aranearum speciebus eadem in se mutuo feritas

(k) *Introd. ad coherentiam corp. firmorum, p. 520. seq.*

tas est. De majoribus certe & grandioris cor-
poris araneis ipse observavit *Reaumurius*, illas
infestis quidem interdum congregari viribus, ra-
ro autem necem sibi invicem inferre. Sunt
præterea cruciarum variae species, quæ frondi-
ferarum arborum, ut betulæ, padi, &c. folia
depalcuntur, & præsertim tribus proximis an-
nis illas reddiderunt in hac provincia inglorias,
quæ tamen postea, in vicem redhostimenti,
arbores textura tenuissima obvolvunt, quæ et-
iam ad sericum, vel analogum quid, inde
conficiendum, adhiberi posset.


TANTUM.




res est. De majore certe & gratiore cor-
 poris status ipse obtinuit. Rursum, illis
 in illis partem interdui congruam viribus, ra-
 tio suam necesse sibi invicem intulerit. Sunt
 gratias caritatis vix locum, quae hodie
 tunc est, ut bene, pax, &c. tota
 debeat, & gratiam tribus proxima an-
 tis illis reddiderunt in hac provincia inglorias,
 quae tamen postea, in vicem reddiderunt,
 et hoc tunc transmissum obvolvunt, quae et
 iam ad tunc, vel analogum quid, inde
 consistendum, adhiberi postea.

TANTUM







www.books2ebooks.eu